



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De suprema hostium pietatis internetione. Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

De suprema hostium pietatis interuentione.

CAP. IX.

Sic ergo cum Maximinus (qui ex reliquis omnibus pietatis hostibus pessimus plane fuit) è medio sublatus esset, ecclesiae gratia dei omnipotentis ab ipsis fundamentis denuo aedificata erectaque fuerunt: & non solum verbum Christi suum splendorem ad gloriam dei omnium rerum moderatoris longe lateque profudit, maioremque quam antea recuperavit libertatem, Verum etiam impii & nefarii pietatis hostes turpi dedecore, & maxima ignominia affecti sunt. Nam primum Maximinus ille ab ipsis imperatoribus omnium hostis infestissimus praedicatus est, & per edicta publica tyrannus scelere & impietate plane perditissimus, infamia turpissimus, dei maximus osor perspicue notatus. Ex tabulis etiam & inscriptionibus, quae erant in ipsius & liberorum suorum honore in singulis ciuitatibus collocatae, aliae è sublimi in solum deiectae, conteruntur, aliae tanquam vultu ipso & exteriori effigie deleta, deformi & tenebricoso colore obliterantur. Statuae etiam, quae ad eius venerationem & amplitudinem erigebantur, simili ratione deturbatae confringuntur, & his qui in eas probra intorquere & contumeliose insultare voluerunt, risui & ludibrio exponuntur. Deinde aliis qui pietatis in deum inimici erant, omnes honores, omnia splendoris insignia prorsus adimuntur. Vniuersi porro, qui videbantur Maximini partes defendere, qui praecipuis dignitatis ornamentis ab eo honorati erant, quique quò illi magis blandirentur, in nostram religionem proterue & petulanter impetum fecerant, interfecti sunt: ut Peucetius, qui praeter caeteros apud eum in summo honore, summaque reuerentia habebatur, & inter amicos illius charissimus erat, iterum & tertio consul factus, generalisque omnium rationum in eius imperio referendarum praefectus ab eo constitutus. Ut Cultianus, qui eodem modo per omnes honores gradus praeteruectus est, infinitaque caede christianorum, qui erant in Aegypto, insigniter nobilitatus. Ut alii non pauci, quorum conatu fines tyrannidis Maximini & roborati & propagati dicuntur. Theotecnus porro, ultio diuina, quae in obliuionem scelerum eius contra Christianos edito.

editorum neutiquam venerat, ad eundem numerum adiunxit. Nam quanquam propter statuam, quam Antiochia erexerat, putabat se re prospere gesturum, & iam praefectura a Maximino donatus erat: tamen Licinius cum Antiochiam aduentasset, & de praestigiatoribus habuisset quaestionem, & prophetas ac sacerdotes statuam nuper fabricatae consecratos verberibus grauius cecidisset, & qua ratione quibusue simulationis inuolucris illas fraudulentas praestigias obtexissent, sciscitatus esset, usque; ut ipsi praetormentorum cruciatu nullo modo amplius celare possent, totumque; mysterium aperuissent, & fallaciam illam techna Theotecni machinatum prodidissent, quod debitum omnibus supplicium irrogaret, primum ipsum Theotecnum, deinde reliquos praestigiarum socios post multas plagas ipsis inflatas morte multauit. Istitis omnibus adiecti fuerunt Maximini liberi, quos iam ipse tam honoris regis quam inscriptionum in tabulis ac picturis insculptarum participes effecerat. Quin etiam huius tyranni cognati & familiares, qui ante tam insolenter gloriati erant, sequi omnes homines suae ditioni subiecisse iactitarant, eadem supplicia cum his quos commemorauimus, summa cum ignominia & turpitudine sustinuerunt. Si quidem disciplinam non exceperant, non norant, neque; intellexerant sacrarum literarum admonitionem, quae sic loquitur: Nolite sperare in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus. Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Sic igitur impiorum sordibus expurgatis, praecleara imperii gubernacula, firma, stabilia, omnis inuidiae expertia, solis Constantino, & Licinio iure remanserunt. Qui quidem simulatque infestos dei aduersarios initio regni ex hominum vita extermerant, & deum suarum rerum prospere gestarum authorem lubentibus animis agnouerant, cum studium virtutis & pietatis tum verum cultum, & gratiarum actionem quae deo se debere intelligebant, per leges & decreta pro Christianis sancita manifesto declararunt.

Noni libri finis.